

Werk

Titel: Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici Parisiensis De Sibylla
Untertitel: Libri tres
Autor: Petitus, Petrus
Verlag: Lankisch; Guntherus
Ort: Lipsiae; Lipsiae
Jahr: 1686
Kollektion: VD17-Mainstream
Gattung: Altertumskunde
Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Werk Id: PPN737373385
PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN737373385>
OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=737373385>

LOG Id: LOG_0009
LOG Titel: Caput X. - Caput XIII.
LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

tror, falsum est eas non requiri ad prophetiam; solum sequitur, non ita esse necessarias, ut non Deus, ubi vult, sine iis prophetas efficiat.

Quæcumque igitur siue intra siue extra hominem posita, animos certa naturæ ratione ad rerum altiorum contemplationem erigere possunt, per omnes mundi partes persequi atque indagare exinde conabor, ut quid horum Sibyllæ iure vindicari possit, appareat.

CAPVT X.

*De naturalibus adiumentis atque
opportunitatibus ad prophetiam re-
quisitis; ac primum de mentis
sublimitate.*

PRIMA naturalium ad prophetiam opportunitatum censetur præstans mentis indoles & sublimitas; qua qui prædicti sunt sic ad diuinorum contemplationem naturaliter rapiuntur, ut ferrum ad magnetem, & alia eiusmodi ad ea cum quibus quadam naturæ sympathia conspirant. Hæc autem propensio non inest nisi iis qui animum naturaliter magnum habent, vim scilicet mentis præstantem, excelsam, & lumenosam nacti sunt. Quæ quibus singulari naturæ dono tributa est, natura ad prophetiam apti præ aliis omnibus censentur. Ita quidem philosophi sciscunt, qui varios distinguentes in homi-

hominibus intellectualis facultatis gradus, in supremo eos collocant, qui præcipuo mentis vigore & claritate cælo propiores agitant, & tali naturæ propinquitate lucem ad prædicendum facile suscipiunt. Tres autem sunt gradus: unus omnium (vt ab eo quod imperfectissimum est incipiam) infimus, eorum scilicet hominum qui mentem penitus corpori immersam habent, quo sit vt nunquam supra sensum cogitatione assurgere valeant. Hi sunt qui nihil rerum sine continuo & tempore, hoc est, quod non sit dimensionibus expansum & tempore comprehensum, concipere possunt; qui animam extensam, spatia extra mundum infinita concipiunt, neque aliter hunc esse finitum videre possunt, nisi talia extra ipsum admittantur spatia; qui denique aliquid omnino esse posse negant quod non sit in loco: vt Auerrois notat in 2. Metaphysicorum cap. 3. text. 15. in posteriori expositione. Huic alter est gradus plane atque, vt dicitur, e diametro oppositus, eorum qui mentem minime materiae immersam habent, quos sic Albertus Magnus describit lib. 1. de intellectu & intelligibili cap. 3. *Secundi autem, quasi per se aut ex parua doctrina nati sunt intelligere omnia: quia intellectum non habent tanquam potentiam animæ, vel quasi efficientem per abstractionem intelligibilia in anima: sed habent eum quasi pro forma per quam anima intellectualis cuncta operantur. Quam in libro de anima*

anima felicitatem esse diximus, ad quam intendit peruenire omnis philosophus. Et hic vocatur intellectus sanctus sive mundus ab Auisenna; ab Aristotele autem dicitur intellectus diuinus: & hic intellectus de studio leui ad prophetias accipit illuminationem, & ad somniorum verissimam interpretationem. Medius autem inter duos illos gradus est, in quo maxima hominum pars versatur, qui disciplina ad cuiusvis scientiae peritiam, maiorem vel minorem, nec tamen poenitendam, peruenire possunt. Quam mentis facultatem *humanam* appellare licet, cum pluribus communis existat.

Igitur Alberti sententia ii natura apti in primis ad prophetiam censentur, quos nascendi conditio in supremo intelligentiae humanae apice constituit. Sed & Algazel, magni inter Arabes philosophos nominis auctor, in libro Auenrois qui inscribitur *Destructio destructionum philosophiae*, de iis quos natura vaticinio affines finxit, eodem plane modo atque Albertus differit, vel potius huic Albertus consentanea dixit, quem ab Algazele quæ modo attuli accepisse, ex utriusque loci comparatione intelligi potest: ubi etiam eadem ingeniorum proponitur distinctio. Quamobrem quæ ad hanc sententiam pertinent, ex eo libro Auenrois, latini vel potius latino barbari interpretis verbis referre haud pigebit: *Sunt aliqui qui mouentur ex ipsis: & sunt aliqui qui mouentur paucā excisa-*

tione, hoc est, disciplina: & sunt aliqui qui non comprehendunt cum excitatione, nisi diminutione magna. Et quemadmodum possibile est, ut eueniat ultima diminutio non habenti sensationem omnino, ita quod non mouetur ad intelligendum intelligibilia, vel cum excitatione; sic etiam potest euenire ultima fortitudo & additio, ut exciteatur ad omnia intelligibilia, aut plurima eorum, & tempore breviori. Et differt hoc quantitate in omnibus quæsitis, aut aliquibus, & etiam qualitate: ita quod differt celeritate & propinquitate. Et forte reperitur propinquitas animæ sanctæ & puræ, quæ transit in sensatione in omnibus intelligibilibus ad scientiam, & celerrimo tempore: & est propheta qui habet mirabilem virtutem speculariuam, & non indiget in intelligibilibus docente, sed quasi ipse addiscit ex seipso. Accedit Auisenna Metaphysicae tractatu 10. cap. I. Ex hominibus ille est nobilior, cuius anima fit intelligentia in effectu, & acquirit mores qui sunt honestatis practicæ: ex his autem ille excellentior est, qui est aptus ad ordinem prophetæ: & hic est ille in cuius viribus animalibus sunt hæ tres proprietates; scilicet ut audiat verbum Dei: ut videat angelos transfiguratos conam se in forma, qua possint videri. Nam autem ostendimus, qualiter fiat hoc: & ostendimus quod ante eum, cui fit hæc reuelatio, transformantur angeli: & fit in eius auribus vox, quam ipse audit, quæ est ex parte Dei & angelorum: & audit eam, quamvis non sit verbum hominum nec animalis terreni: & hic est

cui datur spiritus prophetiae. Qui verborum contextus aliquam a nobis expositionis lucem desiderant propter semibarbari interpretis infantiam. *Ille homo est nobilior, cuius anima fit intelligentia in effectu,* hoc est, cuius anima rationalis, cum esset potentia intellectus, fit actu intellectus. Fuit enim opinio apud illos magistros, hominis perfectionem in eo esse sitam, ut agens intellectus, qui Alexandri sententia foris aduenit, estque intelligentia separata, omnium quæ intelligi possunt rationes in se complexa, in vnum cum nostro intellectu, qui est potentia, coalescat: adeo ut non amplius postea more agentis accedat ad illustranda phantasmatá, ut in imperfectis, sed formæ instar animæ in eandem essentiam copulatus maneat: quod cum accidit, potentia illa prior intelligendi omnino aufertur, vnuisque existit intellectus perfectus; hoc est, anima humana ex anima (quod erat tantum) fit lumen ipsum intelligibile, & in ordinem intelligentiarum transferatur. *Ex his autem ille excellentior est, qui est aptus ad ordinem prophetiae* (hoc est, qui natura est idoneus qui propheta efficiatur. *Et hic est ille in cuius viribus animalibus sunt haec tres proprietates.*) Tres hic proprietates memorat, neque tamen plus duabus in contextu exprimit: nempe, ut verbum Dei audiat propheta, & angelos sibi in forma adspectabili apparentes videat. Deest igitur aliquid in textu. opinor illud, quod alibi apud eum & Algazelem legimus, de vigore &

præ-

præstantia animæ ad transmutandam materiam mundi ; de qua hunc in modum Algazel apud Auenrois citato loco : *Tertia, inquit, est virtus animalis factua, quæ peruenit ad terminum, quo disponuntur naturæ & obediunt ei.* Et paulo post : *Et non est inconueniens, ut perueniat virtus fortitudinis animæ ad terminum, quo inseruiat ei natura necessario, & absque corpore.* Igitur Auisenna in Sexto Naturalium parte & capite quarto, postquam de hac animæ humanae in nonnullis præstantibus viris potestate ex Algazeli sententia dixit, subiungit : *Et hoc est etiam una de proprietatibus virtutum prophetalium.* Ante hoc autem iam diximus, proprietatem quæ pendet ex virtutibus eius imaginabilibus, quæ est proprietas prophetalis pendens ex virtutibus sensibilibus apprehensionibus. *Hec autem est proprietas pendens ex virtute sensibili motu desiderativa, quæ prouenit ex anima prophetæ dignioris prophetie.* Quibus verbis duas indolis propheticæ proprietates insinuat : vnam quidem quæ a sensu interiore proficiscitur, quatenus formas sensibiles apprehendit; alteram qua idem sensus interior præest appetitui animali & motrici potentiae : quam priore illa præstatiorem censet, vt pote ex singulari & inusitata animæ propheticæ nobilitate pendentem; per quam primi ordinis prophetæ miracula pro arbitrio patrant, obediente Deo voci hominis, vt est in libro Judicum. Cum enim secta esset Mahometanus, non dubitauit quin miracula essent ne-

cessaria prophetis ad religionem constabiliendam in populis. Vim ergo illam, qua prophetæ nonnulla, vbi opus est, supra ordinem naturæ operantur, in natura etiam prophetæ fundatum habere censuit; animæ scilicet propheticæ gradum nobiliorem, & vim eximiam imaginationis. Veruntamen in aphorismis de anima, naturali animæ præstantiæ meritum addit, & dignitatem apud primam causam ex morum sanctitate & precibus quas Deus exaudit. Verba adscribam: *Et super animam quidem virtuosam (semibarbari interpretis verba afferro) sanctam, quandoque in hora deprecationis infunditur a prima causa virtus, per quam anima prædicta imprimit in elementis generabilium.* Quare obediunt ei elementa subdita voluntati ipsius, quare illa obediunt deprecationi? quoniam elementa sunt subiecta operationibus animæ que agit in eis. Et consideratio illius verificatur in corporibus nostris. Nos enim quandoque imaginamur res, & ex hoc alterantur corpora nostra, secundum quod exigunt dispositiones animalium nostrarum & imaginationes sue. Et quandoque est possibile, quod homo per imaginationem animæ sue imprimat in corpus aliud ab eo: sicut dicitur de opinionibus que sunt apud habitantes Indiam, si verum est id quod dicitur. Et quandoque principium primum est exaudiens illam animam quando deprecata fuerit. Hæc Auisenna.

Tres igitur ex his Aboali locis prophetales proprietates habemus: ut propheta Dei vocem
sive

siue verbum audiat; vt angelos in forma visibili sibi apparentes videat; vt miranda coram multitidine, vbi res poscit, patrare valeat. De hac postrema proprietate, quæ in miraculis ostentandis spectatur, satis ex eius sententia dictum est: hanc enim vult partim in natura ipsa prophetæ esse sitam, hoc est, animæ præstantia & dignitate; partim in primæ causæ virtute. Idem dicendum est de visione angelorum: siue species, quibus inducti in hominum conspectum veniunt, extrinsecus angeli ipsius arte obiciuntur, siue intus formantur in animo videntis, certum est paucorum esse hominum talia videre, eorum scilicet quos ad magna genitos Deus hisce eximiis amoris sui symbolis dignatur: quemadmodum & quibus intus loquitur arcana voce, longe dissimili ei quæ animalium auribus insinuat. Hoc vocis genere admoneri solitum Socratem, si quando aut ipse aut amicorum quispiam agere aliud vellet, quod male cessurum esset, minimeque fieri oporteret, testatur Plato in Theage, siue de Sapientia. Psellus in dialogo *τοῖς Κρεγγέας δαμόνων* susurrum quendam ab angelo editum interpretatur lumen diuinum, quod diuinis hominibus in ipso temporis articulo datur, ad videndum quid agendum sit, quid fugiendum, vel etiam ad quædam e futuris contingentibus prospicienda; quo lumine qui illustrantur, diuini viri & prophetæ sunt & dicuntur.

Atq; id lumen licet totum a Deo pendeat , ma-
gis tamen & congruentius tribui illustribus in-
geniis consentaneum est. Si enim , vt Theolo-
gus Aquinas dicto loco notat , maxima in pro-
pheta requiritur mentis eleuatio ad diuinorum
contemplationem , constat autem quosdam ita
esse mente a natura comparatos , vt multo melius
aliis diuina contemplari valeant : quod peculia-
rem ad id studium indolem nasci sint ; qualem
fuisse indolem Platonis , Pythagoræ , Heracliti ,
Parmenidis , Anaxagoræ , Aristotelis , & alio-
rum sapientum , nemo non fateatur ; quis tales
viros magis ad prophetiam natura aptos fuisse
neget ? Ita etiam visum fuisse Aristoteli ex his
quæ in libro de diuinatione per insomnia dicit ,
intelligi potest . Inter alia enim quibus fit in-
credibilis eiusmodi ex insomniis diuinatio , hoc
affert , quod si Deus mitteret insomnia , non qui-
buslibet & indignis hominibus mitteret , sed opti-
mis & sapientibus : οὐ τε γέρον εἶναι τὸν πέμ-
ποντα , ὡς τῇ ἀλλῃ ἀλογίᾳ , οὐ τὸ μὴ τοῖς βελ-
τίσοις οὐδὲ Φερνικωθάτοις , αλλὰ τοῖς τυχόσι
πέμπειν ἀτοπού . Si tardis & indoctis homini-
bus somnia præsaga diuinitus offerri absurdum
censet , sequitur eo iudice rationi congruens esse ,
peruenire hæc dona ad sapientes potius quam ad
indoctos : quæ autem huius causa , nisi qua
mentis ad diuina erectæ præstantiam ac subli-
mitatem quæ quibusdam contingit hominibus ,
artiumque magnarum peritiam , gradum esse &

appa-

apparatum optimum ad consequendum prophetae donum putauit?

Quod autem aliter se habet doni huius praeculari dispensatio in hominibus, & saepius ipsum in idiotas quam in scientiis excultos cadere experientia docet: huius quoque rationem dispensationis in numinis prouidentia esse fixam existimandum est. Neque absurdum putare, ipso-
rum praeclarorum virorum, qui ingenio & sapi-
entia excellunt, causa id ita componi, ne tali mu-
nere superbiant, vel etiam ingenii & scientiae præ-
rogatiuam & censem putent, quod solius est di-
uinæ liberalitatis. Nam & animarum has esse
differentias credi posset, vt quarundam ea no-
bilitas esset, quæ hanc diuinationis facultatem
sibi altiori naturæ gradu & quasi suggestu vindicaret,
si propria huius administratio & prouincia
esset magnorum virorum: nunc cum saepius
illiterati & idiotæ eo munere fungi obseruantur,
nulla errori & superbiæ occasio relinquitur, ni-
hil glorie Dei detrahi potest. Sic neque disci-
plinis celebres viros & eloquentes elegit Deus
ad prædicandum Euangeliū, sed rudes & indo-
ctos pescatores: cum tamen alioqui negari non
possit, quin ingenii vis & eloquentia suapte na-
tura optima essent instrumenta ad insinuanda po-
pulis humanæ salutis mysteria. Sed noluit tali-
bus vti præsidii Deus, ne, vt Apostolus dicit,
euacuaretur crux Christi. Non valet ergo ar-
gumentum: Multi rudes & idiotæ vaticinantur,

ergo nulla est in natura hominis opportunitas, neque commendatio, qua nonnulli conuenientius quam alii donum illud recipiant: vel, vt Aristoteles eo in libro de diuinatione per insomnia arguere videtur: ergo nulla omnino datur diuinatio. Verum sequitur, Deum haud quaquam in omnibus sequi quod naturæ ordini & rationi inde ductæ magis consentaneum est: quam cur in prophetiæ dispensatione seruare aliquando nolit, dictum est.

Ex his supra adducta Auisennæ, Algazelis & Alberti dicta explicamus. Non enim eam vim penetrandi acie mentis occulta futurorum contingentium animæ virorum magnorum vernaculam esse voluerunt, quantum ad effectum usumque attinet, sed quantum ad propriorem potentiam & naturalem affectionem & apparatum. In quo nihil video quod sit scripturæ aut veræ rationi aduersum, immo id rerum ordo poscit. Solum id audacius mihi videtur & maius quam natura hominis capiat, quod de ratione qua prophetæ miracula patrant, philosophantur; alicuius hominis animam adeo potenterem, vt non modo corpus proprium, sed etiam quæ sunt foris corpora pro arbitrio immutare valeat: nempe excitare ventos & procellas, pluuiam aut ignem cælo elicere, formas rerum mutare. Id profecto incredibile est, neque ullo in philosophia fundamento nititur, quicquid dicat Algazel apud Auenrois in eo libro Destructionis, vbi hanc opinio-

opinionem ceu philosophis probatam & celebratam proponit. Quod esse falsum Auenrois ibi ostendit, cum nullus alicuius nominis philosophus proferri possit, qui tale monstrum inuenixerit, vno excepto Auisenna, qui dictis locis sententiam eam tuetur & Algazeli suffragatur: primus namque malæ eius frugis sator occatorque fuit Algazel iste in Metaphysica. Cuius nomine & ob alia non recte posita cum male apud suos audiret, & impietatis suspectus esset, hanc inuidiam declinare volens, librum contra philosophos composuit, in quo eorum fundamenta præcipua & dogmata subuertere tentauit, vt Auenrois testatur in præfatione earum disputationum quas aduersus eum instituit.

Petrus autem Aponensis eius operis, quod Conciliatoris nomine inscripsit, differentia 135. de causis quæ hunc hominem, atque etiam Auisennam, in eum errorem impulerunt, hunc in modum differit: *Quod autem ipsum mouit fortassis ita superstitione in philosophia narrare; cuius est causam omnium propriam assignare; est, quia acquieuit incantationibus & fascinationibus, quæ ponuntur ab eorum defensoribus prouenire ex virtutibus animæ praetate, quas suscipit a cœlestibus, prout eorum motuum & lucis facta est imago &c. vel etiam sermonibus gestorum prophetalibus Hebreorum talia scribentium.* Quasi vero magi & præstigiatores ea ludibria, quibus se vulgo admirabiles præbent, innata sibi animæ potestate

perficiant, aut quicquam in libris Hebræorum extet, quo opinio tam superstitionis confirmari possit.

Non minus superstitionis videri debet Procli expositio: quasdam animas esse Apollinares, ad vaticinandum ipso ordine, quo sunt Apollini subiectæ & aptæ, propensas, eumque ordinem studiis atque omni vitæ ratione seruantes; ut videre est in quinto Commentariorum in Timæum Platonis, ubi qui *Deorum filii* a Platone dicantur explicat: *αἱ γὰρ οὐτολλωνιαντὶ ψυχαὶ μανίκον ἡ τελεσινὸν ἐλόμεναι θίουν παιδεῖς οὐχὶ ἔγενον καλλῆται ἐπόλλωνται.* Etenim animæ Apollinares, quæ propheticum & sacris addictum viuendi genus elegerunt, *Apollinis filii* & eius e *prosapia profectæ* dicuntur. Vbi duobus eas insigniuit nominibus: nam & *παιδας*, hoc est, filios vocat; tum etiam *έγενος*, nepotes & posteros. Quæ sic distinguit: *filios* dici, quatenus Deo illi agnatae, & catenæ siue ordinis ab eo ducti proprietatem conseruant: *nepotes*, quatenus in hac vita mortali Dei illius similitudinem moribus & studiis præferunt. Cuius agnationis cum Apolline & proprietatis in exemplum mox affert Sibyllam: *ώσπερ ἡ Σιβύλλα παρ' αὐτὴν δικούησσιν χεισμαδίουσα.* quemadmodum Sibylla, quæ in ipso ortu & matiuitate vaticinata est. Vbi simul obserua interim, quemadmodum Sibyllam non modo ut unam quendam feminam vatem proponit, sed etiam ut singulari-

gulare specimen & exemplum diuinationis. Ex quo etiam intelligi potest, nullum illi eorum adiumentorum defuisse quibus instructi homines fiunt apti ad vaticinandum ; quorum præcipuum esse censemus mentis ad diuina erectæ generositatem & magnitudinem : quam Maro etiam in Sibylla notat

*magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.*

vbi magnam mentem intellige non tantum de afflato, sed etiam de facultate, quam ex animæ proprietate & Apollinea cognatione in hunc mundum attulit. Sed de hac prima & principali vatum proprietate satis dictum arbitror : ad alias transire conuenit.

CAPVT XI.

De temperamento Sibyllæ & aliorum vatum.

CUM de ingenio & mentis præstantia alicuius loquimur, necesse est, si philosophari volumus, in eandem adduci contemplationem indelem & temperamentum corporis, cuius fulturis, vt ait Plinius in epistolis, animus sustinetur. Ita enim vnum horum cum altero aptum est, vt mira horum sympathia existat, qua sit vt neque anima nisi in corpore probe constituto plenum suarum facultatum usum habere possit, neque

cor-

corpus nisi recto animæ moderamine bene vale-re aut conseruari vlo modo queat. In iis au-tem quæ in corpore posita plurimum ad mentis præstantiam, velut & ad aliarum facultatum læ-tum vigorem, momenti afferre possunt, præci-puam sibi partem temperamentum vindicat: cu-ius cum variæ sint differentiæ, partim notæ medi-cis, qui has maiore diligentia persequuntur, par-tim occultæ & ineffabiles, ut quæ singulis homi-nibus ex peculiari eorum quibus corpus constat conditione & materiæ proprietate innotescant; cæteris prætermissis, de hac tantum agam, quæ mentis functionibus, & propheticæ excellentiæ maxime accommodata censem.

Quem autem temperamenti modum vatibus assignet Aristoteles, notum est ex 30 sectione Quæstionum naturalium; nempe eiusmodi, quo qui prædicti sunt, melancholicos, ex humoris atri in corpore prouentu supra alios humores ab-undantis, appellare solemus. Non enim, vt Val-lesius lib. 1. Controuers. cap. 7. notat, tempera-mentum proprie melancholicum, aut sanguineum, aut pituitosum, aut biliosum dixeris: cum nomina hæc sint succorum in corpore ex tem-pe-ramentorum differentiis prouenientium; sed homo recte aut melancholicus, aut pituitosus, aut qua alia humoris dominantis differentia di-citur, cui tale temperamentum a natura conti-git, ex quo horum humorum major in corpore prouentus sequatur.

Ita

Ita igitur Aristotelem de Sibyllæ & aliorum vatum temperamento iudicare , vt sit maxime aptum generandæ bili atræ , & tali copia, vt melancholici inde dicantur, loco dicto apparet. Postquam enim de humoris illius natura differuit: quem vino comparat in hoc, quod vt vinum potentibus, sic niger ille humor, quibus ex natu*ri* temperamenti conditione copiosior prouenit, varios ingenerat mores, prout incalescit aut refrigeratur: eiusdem etiam inflammatione homines fieri ingeniosos & acutos supra modum & perspicaces, deinceps ostendit, διὰ τὸ ἐγὺς ἔναν
Ἐνοερὴ τόπῳ τὴν θερμότητα τάυτην, quibus scilicet calor ille bilis atræ, prope sedem mentis consistit. Tales, inquit, νοσήμασιν ἀλίσκονται μενινοῖς, η̄ ἐνθερμασμοῖς. οὗτον Σιβύλλαν καὶ Bacides, καὶ οἱ ἐνθεοὶ γίγνονται πάντες, οἵταν μὴ νοσήματι γίνωνται, ἀλλὰ Φυσικῆς κατάστασι. Hi morbis capiuntur furorem creantibus aut afflatum diuinum: unde Sibylle & Bacides aliique numine afflati omnes efficiuntur, cum id non morbo sed naturali intemperie accidit.

Nec vero ex hoc tantum Aristotelis loco intelligitur, magis affines esse & aptos spiritui illi, qui prophetas facit, concipiendo eos qui natu*ri* temperamenti lege plurimum in corpore atræ bilis congerunt; sed etiam aliunde, & quod maxi*m*ini esse debet momenti ad fidem faciendam, ex sacris libris: in quibus duos Hebrææ genti maximos omnium prophetas extitisse legimus, Mo-

sem

sem & Eliam : qui ambo sic in iisdem literis de-
pinguntur , vt temperamento & habitu corpo-
ris melancholicos fuisse appareat. De Mose col-
ligo ex solitudinis amore, quo verisimile est im-
pulsus fuisse, vt sacerdi sui Jethro oves pascere in
campis vir tantus non deditur: cum qui-
bus cum se aliquando in deserti interiora pene-
trasset , ostentum illud vidit rubi ardoris , neque
quicquam detrimenti in sua substantia accipien-
tis. Inter mores autem melancholicorum est
vitæ solitariæ amor & απανθρωπία , teste Hip-
pocrate in epistolis , & Aristotele dicto proble-
mate: amant autem loca sola , quia cogitabun-
di sunt. Ex quo etiam efficitur , vt minus apti
sint ad eloquentiam ; quo nomine se Moses ex-
cusat apud Deum, cum ipsum mittere vellet ad
Pharaonem Ægyptiorum tyrannum : *Obsecro
Domine, inquit, non sum eloquens ab heri & nudius
tertius. Et ex quo locutus es ad seruum tuum,
impeditioris & tardioris lingue sum.* Erat enim
natura ιχνόφων & βερδύγλωσσος . Philo de
vita Mosis: πιστών δ' ὅμως παρητέτο τὴν χει-
ρονίαν , ιχνόφωνον , καὶ βερδύγλωσον , γη ἐν-
γλωττὸν αὐτὸν ἔνει φάσκων καὶ μάλιστα αὐτὸν
λέγοντος θεός . credens vero nihilominus de-
precabatur hanc functionem , causatus lingue ha-
sitantiam & tarditatem , negansque sibi adesse fa-
cundiam , præsertim postquam Deum loquentem
audierat. Cuius additionis hanc mox affert ra-
tionem : quod humanam eloquentiam cum ve-

rita-

ritate collatam, meram infantiam & vocis pri-
uationem duceret.

Erat igitur Moses, ut dixi, minus expedito sermone ob linguæ hæsitationem: quod vitium melancholicis familiare esse notat Philosophus. Dicitur autem *ἰχνοφωνία* cum loquens alteram alteri syllabam cito iungere non potest, auctore eodem in problemate 30. sectionis II. Causam cur obnoxii huic vitio sint melancholici, aperit his verbis: ὅτι τὸ τῆς Φαντασίας ἀπολαθέειν τα-
χέως τὸ μελαγχολικὸν εἶναι δύναν. οἱ δὲ *ἰχνό-*
Φωνοὶ τοῖςτοις ᾧ εἴ τις οὐκ εἴπει τὸ λέγειν τῆς
δυνάμεως αὐτοῖς, ὡς θάττον απολαθέσης τῆς
ψυχῆς τῷ Φανέντι. id est, *Quia propere sequi*
imaginationem idem est quod esse melancholicum.
Sunt autem tales procul dubio qui lingua hæsitant:
quippe impetus dicendi præuertit facultatem, dum
visis anima obsequitur. Id autem accidit melan-
cholicis magis quam aliis, quia ex proprietate
atri humoris minus eorum anima est propensa
& dissipata in sensus exteriores, & præterea ima-
ginatione valent. Quo fit ut vigilantes cogi-
tabundi sint, in somnis vero egregii somniatores,
& multa per insomnia rerum futurarum præsen-
tiant, Aristotele teste in lib. de diuinatione per
somnum.

Nec immerito aliquis habitus melancholici in
eodem Propheta argumentum putet, quod qua-
draginta dies absque cibo permanxit incolmis
in monte Sinai. Tametsi enim diuina virtute
susten-

sustentatum fuisse facile credo ; non tamen omnino negandum , quin aliquid fuerit in corpore eius, quo ad tam longi iejunii patientiam naturaliter iuuaretur. Non desunt autem ex naturæ indagatoribus, qui hanc etiam nigri humoris proprietatem putent, vt homines diu sine cibo conseruet : propterea quod corporis materiam vi propria densat ; quo modo etiam non parum ad vitam diu protrahendam conferre creditur, quod humorem quo sustentatur vita cito dissipari non sinat.

Et de Mose hactenus. Veniamus ad Eliam. Hunc etiam insigniter melancholicum cum mores eius & *ορειστιας* indicant, qui in locis ab humano commercio remotis, ignotis scilicet montibus & iuxta torrentes, libenter habitabat ; tum ex corporis eius habitu colligi potest, quem auctor librorum qui Melachim, hoc est, *regnorum* inscripti sunt, in 4. cap. 1 sic depingit: *vir pilosus, & zona pelicea accinctus renes.* Maxima autem pars melancholicorum tali est corporis habitu, quibus scilicet larga subest fuliginosi excrementi copia ex sanguinis aut bilis adustione. Galeno enim teste in 2 de Temperamentis, proprius melancholicus est, qui a natura calidius & siccus temperamentum natus, postea ætatis progressu, mutato calido in frigidum, frigidus & siccus evasit. Quale temperamentum pilis multis gignendis esse opportunum sciunt periti rerum naturalium

Con-

Consequens esset, ut quando non vna est humoris atri in corpore humano ratio, explicaretur quid μελάνης χολῆς *bilis atræ* nomine in eo problemate intelligi velit Aristoteles: quæ item facultas sanguini spissæ & ex adiustione nigro insit ad mentis præstantiam; sed hæc cum paucis verbis explanari non possint, rectius in aliud tempus differentur: nam proprie ad tractationem de ingenio humano pertinent, quam in scribiis habemus, edituri si Deus otium & vitam nobis producet. Modo nobis, quod est ostensum, sufficiat, homines tali temperamento & humore idoneos reddi ad altiores mentis functiones obceundas, e quibus vna est vel diuinissima futurorum euentuum cognitio. Sed & habemus ex verbis Philosophi allatis ex problemate illo sect. 30. natura melancholicam fuisse Sibyllam, & Bacicidem, & alios priscos vates, quod is humor, qui in melancholicis temperamentis præualet, spissus & terrestris existat, ideoque maiorem in modum incalefcere aut frigescere possit. Cum enim accenditur, magna vis halituum ex ipso velut e foco tolluntur in cerebrum, qui spiritus animales calore & siccitate illustrant; ex quo splendor ille existit siccus, tantoperc Heraclito commendatus ad sapientiam parandam.

CAPVT XII.

*Non videri, Sibyllam felicioris ingenii ac mentis altioris prærogatiua;
sed contrario potius habitu ad id munus vaticinandi
adscitam.*

Sed fortasse aliquis opponat, non hac ratione opportunam fuisse vaticinio Sibyllam, sed contraria potius, nempe ingenii simplicitate & stupore, quo interdum contingit fatuos diuinare. Ita enim Apuleius diuinationi aptiores censem pueros in *Apologia prima*, propter eorum simplicitatem & imperitiam; qua fit ut minus eorum animus rerum exteriorum sensu abstrahatur a contemplatione rerum futurarum. *Quin & illud (inquit) mecum reputo, posse animum humanum, & puerilem praesertim simplicemque, seu carminum auocamento, sive odorum delinimento sopnari, & ad obliuionem praesentium externari: & paulisper remota corporis memoria redigi ac redire ad naturam suam, quæ est immortalis scilicet & diuina, atque ita quodam sopnore futuri rerum praesagire.* Videtur autem hæc opinio profecta ab Ægyptiis, qui, vt Plutarchus auctor est in lib. de Iside & Osiride, pueros omnes diuinos esse arbitrabantur, posse reuelare occulta, atque etiam quæ post futura sunt. *Quin omnes eorum actiones*

ac

ac verba, ut signa ac præfigia futurorum obserabant. Idem testatur Porphyrius in epistola ad Anebonem Ægyptium sacerdotem: ὅν παθόψυχῆς ἀτίον τῆς μαντείας, τεκμήρεον, τὸ μὲν δὴ καταλαμβάνεθαι τὸς αἰσθήσεις, καὶ οἱ ὁρεγενέχθεντες ἀτμοὶ ἀ τὸ Πτικλῆστες καὶ εἶναι μὴ πάντας, ἀλλὰ τὸς ἀπλαστέρες καὶ νέοις Πτικηδοτέρες ωρῆς ἀντίκει. id est: *Quod animæ affectio sit causa diuinationis, multa argumento esse possunt: primum quidem sensuum occupatio & interceptio; deinde qui prius efferuntur vapores (e suffitu certorum odoramentorum) atque etiam inuocaciones; tum quia non omnes huic opportuni sunt, sed qui simpliciore sunt ingenio & aetate rudes.* Tametsi de pueris mox dubitare videtur idem Apuleius sequentibus verbis: *Verum enim uero ut ista se habent, si qua fides hisce rebus impertienda est, debet ille nescio qui puer prouidus (quantum ego audio) & corpore decorus atque integer deligi, & animo solers, & ore facundus: ut in eo diuina potestas quasi bonis ædibus diuersetur, si digne tamen ea pueri corpore includitur.* Verum quod ingenii solertia non requiratur in homine ad vaticinandum, confirmat Plutarchus Pythiæ exemplo in libro cui titulus est ὡδὶ τῷ μὴ χρῶν ἔμμετρῳ τῷ Πυθίᾳ, id est, *de hoc quod Pythia nunc oracula versibus non reddat.* Quo loco de eius puellæ conditione & ingenio quæ ad id munus eligeretur, tradit. Non enim in ampla domo ortam, & disciplinis educatam, & animo elatam,

sed in pauperum agricolarum fuguriis educatam mulierculam sine arte, sine experientia, denique omnino rudem & intactam animo ut corpore, produci ad oraculum solitam dicit : qualem vult sponsam Xenophon in mariti domum deduci, quæ minimum rerum visu & auditu usurpauerit. Ita enim loquitur : τραφεῖσα δὲ ἐν οὐκίᾳ γεωγρῶν πενήτων, ὅτε δύπο τέχνης ὀδὲν, ὅτε ἀπ' ἄλλης θεοῦ ἐμπιερίας καὶ δυνάμεως Ἀποφερμένη κάτεστιν εἰς τὸ χειστήριον, αἷλλ' ὥσπερ ὁ Ξενοφῶν ὄιελα δεῖν ἐλάχιστα τὴν νύμφην ἰδὼν, ἐλάχιστα δὲ αἰκόσιον εἰς αὐθερὸς Βαδίζειν, ὅτως ἀπειροῦ καὶ αἴδας ὀλίγος δεῖν, ἀπόντων καὶ παρέγενθε οὐς αἱληθῶς τὴν ψυχὴν τῷ Θεῷ σύνεστιν.

Sed & Aristoteles in libro de Diuinatione per somnum, genus illud vaticinii τοῖς τυχῆσι καὶ τοῖς Φερνικωπίσι, hoc est, quibuslibet potius quam prudentissimis contingere, testatur; cuius discriminis mox causam his verbis subdit : ηδ διάνοια τῶν θείστων (τῶν τυχώντων) ἢ Φερνική, αἷλλ' ὥσπερ ἔρημοθεοῦ καὶ πενή πάντων, καὶ πινηθεῖσα καὶ τὸ πινέντας αἴγελα. id est, Horum namque cogitatio minus curis interpellatur, sed tanquam deserta & vacua omnibus, si quid extrinsecus moueat, promptius sequitur. Neque porro alia causa fieri censet, ut mente externati & furentes vaticinentur, sequentibus verbis : τόδι ἐνίστις τῶν ὀκτώτηνῶν περιορᾶν, αἴλιον, οὖν αἱ οἰκεῖαι πινήστεις. οὐκέτιον, αἷλλ' διπορραπίζοντας τῶν Ξενικῶν οὐ μάλιστα αἰδάνοντα. Quia scilicet mi-

nus propriæ motiones & curæ turbant, sed longe proiiciuntur. Quo fit ut magis quodcumque motus extrinsecus accidit sentiant. Atque hæc dif-
ferta quidem eō loco Aristotelis sententia est,
magis aptos esse ad præuidendum futura resides
animos & curis vacuos, quam agiles & prop-
riis curis inquietos. Cui tamen (ut obiter di-
eam) parum quadrant, quæ mox sequuntur: καὶ
τὸς γνωρίμος ὡς τὸν γνωρίμων μάλιστα περι-
εῖν συμβαίνει, διὰ τὸ μάλιστα τὸς γνωρίμος
τοῦ ἀλλήλων Φεγονίζειν. Et familiares de fa-
miliaribus maxime præuidere accidit, quia maxi-
me inuicem de his quæ ad alterutrum pertinent
solliciti sunt. Nam priori sententiae consequens
esset, quorum res vnicuique magis curæ sunt, &
cognitioni sæpius obuersantur, minus posse
eos futura de iisdem præsentire animo & præ-
cipere: si quidem cura & cogitatio quorumdam
animæ obstat, quo minus de aliis nondum exi-
stentibus præuideat quam in partem cadant.
Neque enim quia hæc & illa ad eosdem fami-
liares pertinet, minus propterea obstat præsen-
tium cognitio, eorum quæ futura sunt præui-
sioni; si quidem hæc non minus ignota & aliena
esse liquet, vt pote quorum nullum prorsus in
nobis principium aut signum habeatur.

Sed hac difficultate in aliud tempus rejecta,
hoc quod manifestum est in sententia Aristotelis
contemplemur. Nempe homines simplici cor-
de, neque humanis rebus intentos, item furen-

tes, quam mentis compotes aut propriis curis
occupatos, aptiores esse ad diuinandum; quod
in his interni motus externis non obstant. Hanc
enim esse Aristotelis sententiam palam est.
Quid igitur hinc sequatur considerare operæ
preium est, si genuinam Aristotelis sententiam
de vera diuinationis sive prophetiae causâ asse-
qui volumus. Cum enim fateatur, ξενιχγς, hoc
est, externos esse motus eos qui animam diui-
nantum impellunt & futuri compotem faciunt:
quærendum est profecto, quinam sint ii motus pe-
rigrini, & quæ horum causa. Quid igitur ra-
tioni magis consentaneum magisue promptum
dictu, quam Deum aut Dæmones horum mo-
tuum animæ exterorum esse causam? profecto
nihil. Verumtamen si physica tractans Aristoteles
talem affectionis naturalis (quod genus
somnia sunt) causam afferret, parum propositi
memor videretur: nihil enim physicus in causis
reddendis afferre debet, quod naturalis contem-
plationis metas excedat; quod faceret, si natura-
lis affectionis causam propriam Deum aut dæmo-
num quempiam faceret. Deum quidem totius
naturæ ambitum transcendere palam est, tamet-
si via naturali cognosci potest. Dæmones autem
an sint nec ne, nulla naturali inuestigatione in-
ueniri potest: cum nulla ex iis, quæ in natura
apparent, ratio nobis suppetat, qua tales in vni-
uerso naturas existere credamus. Hæc consi-
derans Philosophus, satius putauit quiduis mo-
do

do naturale hic afferre, quam ad Deum natura
vniuersa superiorem, aut naturæ ignotos Dæmo-
nes confugere: tametsi istud quod proponit
pro causa diuinationis quæ in somnis contingit,
minus perspectum & exploratum esse intellige-
ret. Censet igitur, eorum quæ aliquis non ni-
mium distans proponit facere, notitiam posse
imprimi animo alterius per somnum: dum il-
le cogitans aliquid negotii agere, tali cogita-
tione quosdam in corpore suo motus excitat, qui
statim vicino aeri impressi, & deinde remotio-
ri, vsque ad somniantem propagantur: quibus
anima eius impulsæ species proposito negotio
congruentes & eius indices effingat: hos vero
motus noctu magis quam interdiu, a dormien-
tibus quam vigilantibus percipi. Atque id pro-
babilius iudicat, certe naturalis philosophi insti-
tuto magis accommodatum, quam *εἰδωλα*, ima-
gines siue spectra; quæ Democritus eorum quæ
in somnis apparent causas statuebat. Hanc au-
tem rationem somniorum diuinorum accura-
tius tractatam fuisse ab Alexandro Aphrodisæo
ἐν τῷ ὀψὶ δαμόνων testatur Simplicius in com-
mentario: in quo libro de Dæmonibus non du-
biū est quin magnus ille Peripateticus eorum,
qui Dæmones esse dicunt, sententiam impugna-
ret, iis autem quæ ad probandum Dæmonum
existentiam vulgo afferri solent, responderet. Ve-
rum is liber non mediocri philosophiæ iactura
aut prorsus intercidit, aut alicubi abstrusus cum
situ & blattis luctatur.

Cæterum quod hæc ratio non sufficiat, hinc quiuis intelligat, quod non possit extendi ad omne genus somniorum diuinorum: quoniam eiusmodi sunt in eo genere præsensiones, quæ iis motibus, quos ibi causatur Aristoteles, adscribi nullo modo possint: vt si quis Lutetiae cum sit, de iis quæ Constantinopoli aut Bactris euentura sunt, certas in somno videat imagines. Quale genus somniorum interdum existere, ipsemet fatetur Aristoteles, neque humanæ esse coniecturæ, talis diuinationis causam assequi. Non igitur negat harum rerum quasdam præuideri posse in somnis, sed causam cur præuideantur, non posse a nobis inueniri, cum humanæ mentis captum superet. Quod tamen huius aliqua sit causa, non negat: nihil enim fit sine causa: aut igitur Deus, aut aliqua alia causa earum quæ sunt in natura. Cæterum harum nullam ἐν λογού, rationi consentaneam & probabilem afferri posse fatetur: ergo Deus eius causa existat diuinationis ipsiusmet Aristotelis confessione oportet. Hanc confessionem habemus expressam hisce verbis: αὐτοὶ γέρεις δὲ τῆς Δώδεκα θεῶν ἀντίστησαν σθεντιὰ ταῦτα ἄλλων ἐν λογού Θεοῖς αἴνεται. I. e. sublata vero quæ per se Deum est causa, nulla aliarum conueniens esse videtur.

Cur ergo postea dicit, causam qua aliquis præuidet quæ ad columnas Herculeas & Boristhenem fiunt, inuenire maius putandum quam capiat humanæ coniectura mentis? οὐδὲ τὴν ήμερην

τέργαν εἰναι δόξειν οὐ σύνεσιν, εὐρέων τέτον τὴν
 δέχην. supra nostram prudentiam esse videatur, ho-
 rum inuenire principium. Respondeo, duplex es-
 se principium sine causam: unum quod cadit sub
 ordinem naturæ, & est determinatum; alterum
 quod est supra omnem naturæ ordinem. Est au-
 tem Deus istud principium, quatenus agit præter
 naturæ ordinem, ut cum idiotæ animo impri-
 mit notitiam rerum futurarum, & alia mutanda
 efficit: quæ Græci ἄποπα vocant, non quia fal-
 sa aut absurdæ, sed quia horum satis idonea & eui-
 dens ratio reddi non potest. Quo pacto Plutar-
 chus in Dione eorum opinionem, qui spectra dæ-
 monum nonnullis apparere interdum censem, ἀ-
 λεπότελον λόγον appellat: non, quod non credat esse
 dæmones, sed quia ad probandam eorum existen-
 tiā nulla satis idonea in natura ratio suppetit.
 Proinde & omnia hæc licet negari omnino non
 possunt, captum tamen humanæ mentis excede-
 re dicuntur, quia qua lege naturæ, quo ordine
 contingant, nulla ratione ostendi potest. Idem
 de fortuitis dicendum, quæ nec ipsa quamobrem
 fiant ulla ratione constitui potest, cum tamen
 nemo multæ eiusmodi accidere neget. Est enim
 fortuna causa omnino, verum ut idem Aristoteles
 affert in 2 Physic. ἀδηλός ἀνθεπίνη διαστά,
 ως θεῖον πάσου καὶ δαμονιώτερον. Quod licet
 ex quorumdam opinione affert, non tamen im-
 probat: non enim refellit, ut alia quæ in homi-
 num opinionibus falsa & absurdæ iudicat.

Sic neque a nonnullis quæ in locis remotissimis geruntur, præuideri in somno aliquando plane inficiatur, sed rationibus a natura depromptis explanari posse. Ita quod dictum est, si talia somnia a Deo mittantur, sequi, ut potius sapientibus, quam idiotis & insipientibus mitti oporteat, contra quam fieri obseruatum est, obiectio est quidem & difficultas, sed quæ animos potius suspendat, quam fidem rei compertæ detrahat: quam tamen ibi ut alienam a naturali contemplatione non soluit; nisi huius solutionem esse putamus, quod homines rudes magis pateant iis qui foris accidunt motibus, quam eruditos & sapientes, qui propriis cogitationibus occupantur, atque ita implentur, ut externis diuinisque impulsibus locum non relinquant, quemadmodum supra visum est. Nos autem supra aliam etiam rationem e diuinis scripturis accessuimus, quod Deus quæ supra naturæ ordinem & mentis captum hominibus confert, nolit naturalibus causis & ingenio cuiusque assignari. Hinc enim est illud Christi in Euangeliō: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hęc a prudentibus & reuelasti parvulis.* Idem dicendum de afflato diuino, quo indocti etiam & alioqui animo non valde perspicaces magis quam docti & sapientes mouentur.

Hęc autem paulo latius differere visum est, ut eorum errori occurram, qui locis quibusdam Aristotelis decepti putant non aliam hunc diuinatio-

nationis Sibyllæ & aliarum vatum causam agnouisse , præter animi inflammationem a bilis atræ motu prouenientem . Quod enim altiorem & diuiniorem in his causam prospexerit , cum ex his quæ modo exposui intelligi potest , tum maxime ea loca eiusdem indicant quæ in mea dissertatione de furore poetico proposui eruditis perpendenda , & ipse expendi & explanaui ; quibus locis ostendi , Aristotelem de causis diuinationis non dissentire a Platone , vt vulgo creditur .

Quæ cum ita sint , nihil est quod nos cogat credere , aut Pythiam altioris ingenii prærogatiua meruisse cortinæ Apollinis admoueri & ascendere tripodem , aut Sibyllam naturæ præstantia electam quæ mundum oraculis impleret : tametsi præstantiore hanc natura fuisse negari plane non potest , & magnitudinem ingenii esse gradum quo ad diuina ascenditur supra ostendimus . Sed tamen vt quod sentio eloquar , probabilius mihi videtur , superbum Daemonem , quod alias solet , hic quoque Dei opera voluisse imitari , immo cum illo , vt est eius ambitio & furor , contendere , vt quantum facultatis haberet ad deprehendenda futurorum contingentium arcana , in rudi & focordi potissimum muliercula ostendere vellet . Quem zelum æmulandæ maiestatis diuinæ cum olim in Ægypto , vt in Exodo legitur , memorabili exemplo ostendisset , tunc cum maleficos & ariolos coram Pharaone rege Moysi opposuit , qui eadem quæ ille prodigia ederent ; tum etiam

etiam in cultorum suorum sacrificiis aliquando non minus aperte declarauit. Cum enim Deus apud Hebræos interdum cælitus demisso igne aris impositas victimas consumeret, vt variis scripturæ locis legimus: idem a superbo dæmonie factum Plutarchus in Pauli Æmilii vita testatur: ἐν δὲ καὶ τῷ ὁρίῳ τὴν θυσίαν σύμπλωμα δαμόνιον ἦν ἐν Αμφιπόλει Ἰουντῷ τῷ Αἰμιλίᾳ, καὶ τῶν ιερῶν ἀνηγμένων περιστοὺς ἀνοικῆσας εἰς τὸν θωμὸν, ἐπέφλεξε καὶ συγκατήγορε τὴν ιερεψίαν. id est: *Præterea mirandum prorsus & numini adscribendum circa immolationem prodigium accidit in urbe Amphipoli, Æmilio rem diuinam faciente: nam fulmen in aram incidens sacrificium incendit & confecravit.*

Hæc de Dæmonis nequitia, qua Dei affectat similitudinem & opera eius imitatur, quo pertineant, quoue consilio a me afferantur, magis patebit cum de Sibyllæ raptu & translatione in varia terrarum loca dicemus. Sint igitur hæc ita posita, vt fundamentum eorum quæ tunc dicentur. Nunc reliqua, quibus magis apti homines ad diuinandum creduntur, exequar.

CAPVT XIII.

Num & cælum nascentibus aliquid inspiret, quo fiant apti ad diuinandum.

HAstenus de ingenii magnitudine & tempera-
men-

menti conditione, tum vulgata bilis atræ ad mentem incitandam opportunitate pro instituto dictum est: decet autem omnia in natura circumspicientes quæ ad diuinationem facere creduntur, in cælum etiam oculos tollere, ac siderum positus contemplari, num & ex his aliqua descendant ad hanc de qua agimus functionem opportuna. Quod si verum est, non alienum fuerit & hanc quoque naturæ opportunitatem ad alias supra memoratas in ortu Sibyllæ adiunctam putare. Tametsi igitur nullam censemus ingenii humani facultatem, ad eam quæ facit vates, virtutem pertingere posse: cum tamen probatum sit, Deum vt naturæ auctorem, & suauiter omnia disponentem in vniuerso, vim suam libenter accommodare hominum naturis atque aliarum rerum quibus vtitur; absurdum videri non debet, eundem & siderum viribus & dispositione, cuius & ipse auctor est, vti aliquando, immo saepius, ad conciliandas sibi hominum mentes, & vaticinio illustrandas; si quidem huiusmodi vim cælo inesse aliqua probabili ratione ostendatur.

Ac de cæli potestate in hunc mundum inferiorem omnibus notum esse arbitror, vt sit ineptus qui verbis probare studeat quod rerum perspicuis documentis experientia vel tardissimis ingerit. An autem ex his quæ cælo in hæc caduca delabuntur aliquid in hominum animos redundat? quidni? cum & mores huic configurari,

rari, tum miras naturis hominum singularium innasci proprietates non infimi subsellii philosophi fateantur. De moribus quidem Scaliger in exercitatione 274 hunc in modum: *Odium, inuidia, auaritia, contemptus, fastidium, maledicentia, fraudulentia, funacitas, proditio in omni temperatura cum inueniatur, non potes accipere pro causa temperaturam.* Nam cuius caloris aut humiditatis mancipium erit falsarius aut incestus? Et mox: *Hæc atque talia potentiae siderum attribuamus, quæ non cogit quidem voluntates nostras, at temperaturas pingit eiusmodi proprietatibus, quarum cause nullis indagationibus ab humano ingenio possunt erui.* Sic autem ibi idem de animorum propensionibus: *Vestiga quibus vales viribus, (vales autem plurimum) non alia ratione horum inuenias effectuum causas, quam quo temperamento sit chymista, præstigiator, rabula, faber.* Sunt enim non solum ad vitia virtutesque, sed etiam ad artes ipsas habitus atque propensiones. *Emendiis Alpibus descendet in oceanum futurus nauta. Venetus meditabitur equitationem.* Si hæc ab astris, cur non & diuinatio? Non quidem ut hanc principalem huius causam statuamus cum Cardano, sed ut præparationem cum Pomponatio. Hic in libro quem de incantationibus conscripsit, cap. 12. duas in Sibylla fuisse agnoscit præparationes: unam ab astris in ortu illi impressam: alteram temporariam quæ priori illi certis temporum articulis accedat, motum scilicet atræ bilis, de quo

su-

supra; causam autem præcipuam Deum & intelligentias cœlestium orbium motrices in corpore feminæ illius sic probe apparato agentes, dæmonibus reiectis, quos a dogmate Aristotelis alienos censuit. Ita aliorum argumentis respondens disputationat: *Ad tertiam autem difficultatem, in qua queritur de illa dispositione per quam vates, Sibylle, & demoniaci tam admirabiles faciunt operationes, dicitur primo, tales homines ut in pluribus ex sua genitura esse taliter dispositos: quare eam contraxere ex principiis generationis, verum satis remote & in potentia: quare cum actu vaticinatur, praeter illam remotam habent aliam propinquam dispositionem, ut manifestum est ex Sibylla & Virgilio memorata in sexto Aeneidos: nisi enim Deo impleretur & fureret, responsa non dabat. Hoc autem erat ex illa dispositione propinqua, per quam habilitantur ad suscipiendos diuinos afflatus, cum actus actiuorum sint in paciente dispositio. Et inde prouenit, ut non semper tales vates vaticinentur, cum non semper sint dispositi; & aliquando magis, aliquando minus, secundum meliorem passi dispositionem, vel corporum cœlestium. Diuersitas namque situum, utpote coniunctionum vel appositionum, in eiusmodi effectibus multum diuersificat effectus.*

Hæc magnus ille Peripateticus de causis diuinationis, satis ut appareat congruentia principiis Aristotelis; sed quæ tamen ad legitimæ demonstrationis dignitatem non adspirant, quia mini-

me

mē ad omne vaticinii genus quod numinis afflatus constat, accommodari possunt. Patet enim accuratius contemplanti non habere hēc locum nisi in iis qui natura sunt propensi ad vaticinandum; quo in numero Sibyllam fuisse scimus: at non ad Pythiam hēc quisquam pertinere concedat, qui sacerdotis illius a Sibylla discrimen nouerit: neque porro ad alium quemcumque semel in vita aut admodum raro vaticinatum constet: ut de multis proditum est. Nam & quosdam per grauium ægritudinum accessiones in furorem conuersos, quæ nemo nisi vates scire posset, adstantibus renuntiasse proditum est: ut de quodam phrenetico Augustinus testatur lib. 12, de Genesi ad literam cap. 17. qui presbyterum ad se vocatum e duodecim milliūm interuallo præsentiebat, loca quæ transiret singula referebat, quantum appropinquaret, & quum villam ingredieretur, quum domum, quum cubiculum, donec in conspectu eius adstaret. Idemque alteri eodem morbo laboranti accidisse refert, ut quod futurum esset certo prædiceret. *Nouimus etiam,* inquit, *sine dubitatione, phreneticum futuram mortem cuiusdam feminæ prædictisse;* non sane specie diuinandi, sed tanquam factum ac præteritum recolentem. *Nam cum eius apud eum commemorationis fieret;* mortua est, inquit, ego eam vidi efferriri; *hac cum eius corpore transferunt, cum illa in columis viueret.* Post paucos autem dies repente defuncta est per eum locum elata est, qua ille prædixerat.

His

His tertium addit exemplum pueri ægrotantis non minus mirabile, cui per ecstasim hominum species oblatæ remedia aduersus morbi intolerabiles cruciatus indicarunt, quibus usus perfecte conualuit. Atque his diuinationem eiusmodi, tanquam morbi symptoma fuisset, cum morbo euaniisse ex eodem Augustino discimus. Ex quo sane intelligitur, hos natura vates non fuisse: si quidem casu & temporario alienatae morbo mentis impetu.

Quod autem nec Pythia in eorum vatuum numero esset quos nascendi conditio facit, facile ostendi potest: cum enim non aliter nisi tripodi insistens, & erumpentis e specu spiritus vi exterrata vaticinaretur; rudes autem & ignotæ virginis ex agris, vt dictum est, euocarentur & turguriis agricolarum, quæ eo munere fungerentur: non tamen appareat quo potissimum indicio cuiusque indolem distinguere possent, vt quæ propensa esset ad diuinationem, quæ minime, constaret. Quæ igitur simplex maxime & tranquilla videretur moribusque incorrupta, hanc citra aliam disquisitionem eligebant; quod iis persuasum esset, unam præparationem sufficere ex habitu proprietate, quæ ex antro Delphico erumperbat. Non igitur in omnibus duplex, vt voluit Pomponatius, præparatio fuit necessaria: una ab astris, altera quæ temporario quopiam motu constaret.

Nunc quæ astra potissimum dominari oporteat

teat in eius qui futurus sit vates genesi, ex Ptolemaeo, Firmico, & aliorum astrologorum libris petendum est: sed & a Cardano, qui eiusdem disciplinæ peritissimus fuit. Quæ igitur de cælesti ratione diuinationis Sibyllæ & Pythiæ Delphicæ sacerdotis affert lib. 14. cap. 68. de varietate rerum, adscribere haud grauabor. *Apollinem*, cum nondum an Dæmones sint constitutum sit, causam dicere haud conuenit. In cæli vim igitur si referas, omnibus satisfaciet. Nam & antro & virginis, quia vates futura erat, Veneris cum Sole vis atque Saturno dominabatur. Vnde & veridicæ vates carmine oracula solebant edere: & nomen vatis a diuinis ad poetas translatum est: ita fit ut cum vis esset cælestis, ut mutata virgine veritas major vel minor in oraculis reperiretur: & mutatis etiam temporibus ut tandem vis illa consenserit: eadem quoque virgo ex diuersa astrorum constitutione variam in oraculis edendis claritatem, veritatem, & eleganciam carminis ostenderet. Venerei igitur astri apte collocati vis hac fuit. Et ut melius collocabatur in virginis genesi & in antri initio, ita omnia rectius succedebant. Componebatur igitur oraculum ex tribus: vi terra quæ agitabat mentem: & vi cælesti in puella: & vi cælesti in antro. Cum enim in penitione antri ingrediebatur, vapor ille in ecstasim deducebat vigilantem. At ecstasis vigilans, etiam si casu contingat, diuersa in astro ostendit: quæ in Pythia ab astro in veritatem & ea quæ venturæ erant dirigebantur.

Clara hæc Cardani verba, neque explicatione
egent: nimirum ex tribus planetis, Venere, Jo-
ue, Saturno deducit indekem ut Sibyllæ sic &
Pythiæ, aliorumque vatum qui naturæ sunt apti
ad vaticinandum. Quod non posse in Pythias
conuenire supra ostendimus, quæ nihil poterant
nisi et tripode, alias mutæ: quibus proinde eti-
am si aliqua vis ab astris in ortu contracta subesset,
nulla tamen ratione cognosci posset. Nisi for-
tasse ex vniuerscuiusque horoscopo in figura nata-
li signato id innotuisse dicamts: quod nusquam
legitur, & factum putare ridiculum est. Alia ra-
tio Sibyllæ, quam in ipso ortu vaticinatam testa-
tur Proclus loco supra allato: alia & eorum omni-
um, qui naturalem ad diuinandum propensi-
onem suam frequentibus vaticiniis minime loco
vlli alligatam facile probabant.

Sed quicquid sit de astris, quorum viribus qui
varias materiis elementorum ex quibus animalia,
stirpes, lapides, & alia eiusmodi mixta gignun-
tur, proprietates imprimi negant, pecudibus po-
tius quam hominibus annumerandos censeo:
magnæ mihi esse importunitatis videtur, ne di-
cam amentiæ, causam eius diuinationis, qua
Sibylla & Pythiæ olim vniuersum terrarum or-
bem in se conuerterint, a Dæmonibus transferre
ad intelligentias; hoc prætextu, quia nondum sa-
tis in philosophia constitutum sit, an sint Dæmo-
nes. Quasi vero ad eorum existentiæ fidem fa-
ciendam non sufficiat omnium consensus gen-

tium & sapientum ab ultima antiquitate usque ad hanc ætatem. Quid, inquam, importunum magis & impudens, quam putare mera esse figmenta & fabulas, quæ Orpheus, Musæus, Homerus, Hesiodus de Diis scripserunt? Quæro enim, unde iis rerum, quæ non sunt, nomina & tanta tradendi ambitio in mentem venire potuit? Hoc licet incredibile sit de Poetis illis, quos magnos viros & sapientes fuisse constat, multo adhuc incredibilis videatur de Pherecyde, Pythagora, Democrito, Heraclito, Empedocle, Socrate, Platone: qui omnes cum suis sectatoribus Dæmones esse confessi sunt, & doctis omnibus ut certas mundi naturas proposuerunt. Adhuc magis incredibile de hominibus fidem Christianam professis, Cardano & Pomponatio; cum tam expressa in utroque testamento loca, quibus Dæmonum fit mentio, habeantur. Quid refert, non satis validas philosophis rationes suppetere quibus Dæmones esse probentur, vbi tot & tanta de iis sapientum & prophetarum testimonia & auctoritates premunt?

Sed hac omissa disputatione quæ non est huius temporis, ostendendum est, non posse eos intellectus, quo astra in Peripateticorum dogmate reguntur, auctores esse oraculorum. Cum enim mentes illæ tanquam formæ Solis, Lunæ, & aliorum siderum globos contineant, consequens est ut nullum in his inferioribus effectum dare possint, quod cœlestium corporum virtutem transcen-

scendat. Solum igitur materiam, qua constamus, mutare poterunt; promouere ortus rerum naturalium, & alia id genus gubernare, mentem humānam directe his moueri posse nemo dicet. Neque igitur proinde quisquam sanus concedet, ab iis cuiuslibet rerum naturalium scientiam in animam hominis manare, nedum futurorum contingentium notitiam: solum ab iis vires posse tribui corpori, quibus homines magis apti redundantur ad diuinandum, quod vltro fatemur.

At vero illa mirabilia quæ Plutarchus tradit, signa quibus cognoscebatur tempus esse opportunum quo Pythia descendere tripodem & oracula edere posset, quis vlli cælestium corporum dispositioni aut virtuti adscribat? In his duo occurunt stupenda: primum quidem subita laurus Deo sacræ in summa aeris tranquillitate commotio; cuius Callimachus facit mentionem statim initio hymni in Apollinem:

Οἴον ὁ τῷ πόλλῳ εὐεισαγό δάφνη
& nos in poemate quod inscribitur Codrus expressimus:

*Vestibulum ante ipsum ramos pandebat oentes
Laurus docta comas, sensuque vertice moto
Numinis aduentum.*

Alterum signum non minus prodigiosum Dæmonis præsentiae refert Plutarchus in libro de defectu oraculorum, his verbis: *αι δὲ τῶν ιερέων καταπίσσεις τὶ Βέλονται, οὐδὲ τὸ μὴ θεμιτεύειν εἰ μὴ τὸ ιερεῖον ὅλον ἐξ ἀκέων σφυρῶν ϕαστερεμον γένεται,*

νηλαὶ, καὶ πορθανθῆ πατασπενδόμυρον; ἐγ-
κεῖ τὸ διαστήσα τὴν κεφαλὴν, ὥσπερ ἐν ταῖς
ἄλλαις θυσίαις, ἀλλὰ πᾶσι δὲ τοῖς μέρεσι τὸ σώ-
λον ὄμβρος, καὶ τὸν παλμὸν ἐγκενέθαψεντα ψόφος
προμώδες. ἐάν γε μὴ τότε γένηται, τὸ μαντεῖον ἢ
Φασὶ χερματίζειν, ὃδε ἐσάγεται τὴν Πυθίαν.
Quid porro sibi vult institutio illa sacrarum virgi-
num, illudque obseruatum, ne prius responsum de-
tur, quum animal immolandum totum usque ad
extremas ungulas tremat & concutiatur, cum li-
bamina illi infunduntur? Non enim satis est caput
quassare, ut in aliis sacris, sed cunctis corporis
partibus fluctuare & palpitare oportet, cum tre-
pido sonitu. Nisi enim id obseruatum fuerit, ora-
culum non existimare edendo responso esse para-
tum, neque Pythiam introducunt. Quis igitur
tales motus tam subitos & inusitatos aut stirpis in
aere immoto, aut pecudis nullo metu aut dolore
impulsæ ad solum liquoris contactum toto cor-
pore trementis, causæ tam remotæ, qualis intel-
ligentia & cælum mouens, adscribere audeat?
Quis spiritus exquisitæ fragrantia, & supra
omnem odoramentorum suavitatem iucundos,
quibus idem Plutarchus, ex adyto Apollinis
manantibus, locum in quo interrogantes sede-
bant responsum expectantes perfundi Solinus re-
fert: cum præfertim is odor neque saepius neque
stato tempore fieret, sed incertis temporum &
fortuitis interuallis?

His Plutarchi consona plane quæ Lucanus ha-
bet

bet Pharsaliæ lib. 5. de illa loquens Phoebade quæ ab Appio coacta eloqui futura cum simularet furorem, his deprehensa est notis:

non raptæ trementi

*Verba sono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens spatiū, nulloque horrore comarum
Excussæ laurus, immotaque culmina templi.*

Quibus patet, non solum sacram laurum foliatam concuti aduentante Deo, sed etiam templum ipsum; vt & Callimachus dicto loco, & post eum Claudianus initio libri primi de Raptu Proserpinæ, *Γειασμὸν* exprimens canit:

*Jam mihi cernuntur trepidis delubra moueri
Sedibus.*

Nec minus horrenda quæ Sibylla Apolline correpta patiebatur: vt videre est apud Maronem in sexto Æneidos notis versibus. Quibus adde quæ de spectris, quibus Dæmon suam præsentiam initatis significabat, (*Πτιφανίας* vocabant) dixi in mea dissertatione de furore poetico. Quis igitur hæc tam monstrifica præsidenti astris intelligentiæ & cursum naturæ regenti adscribere audeat? Non igitur in his naturæ ordinem & vim, sed Dæmonis potestatem valuisse putandum est: hoc tamen discrimine, quod Sibyllam nihil vetat putare ingenium habuisse ab astris, hoc est, proprietatem, qua Numinis siue boni siue malo magis pateret; quam a teneris ferunt vaticinatam; in Pythia nihil videmus præter temporium Dæmonis afflatum.